

Natus est Marcus-Antonius M.CCCC.XXXVI. circiter annum. Perspecto ejus ingenio prompto & acri, curavit pater, ut, quam liberliter per ipsum posset, educaretur. Adhuc adolescentulus Romanam profectus, aliquandiu *Gaspare Veronensi & Porcellio*, qui patria *Neapolitanus*, *Romanus* erat domicilio, praceptoribus est usus. Inde ad *Domitium Calderinum*; ipsum quoque *Veronensem*, se contulit; quo tempore cum ad latinam poesim haberet miram facilitatem, ad quinque carminum milia composuit, quae jam aetate proiectior laceravit omnia, paucis exceptis, quae meliora sunt visa: sunt fortassis *elegiae* quae etiamnum inter ejus poemata editae leguntur. Apud *Porcarios* etiam, quae tum familia & generis nobilitate & doctrinis omnibus habebatur perillustris, se & fratrem admodum adolescentes esse institutos, idem Sabellicus testatur Decadis III. libro VII. (a). Nondum vero adolescentia egresus, fama allectus qua tum *Pomponius Laetus* celebrabatur, hujus voluit esse auditor; eoque magistro sermonem suum excolare, & a saeculi illius cordibus purgare aggressus est. Haec fere omnia excerptimus ex ipsius ad *Foregium* epistola. *Romae Pomponio*, & *Domitio Veronensi* dedi operam ADOLESCENS: audiveram tamen nonnihil ANTEA *Gasparem Veronensem & Porcellum poetam*. Scripti ad quinque millia carminum adolescentis sub praceptoribus: quae omnia adultus abolevi, praeter pauca, quae ex illis non omnino displicuere. Fallo igitur *Jovius* narrat, eum *Tibure*, ubi ludimagistrum egerat, Romanum migrasse illico ad *Pomponium*, qui certe postremus illi & optimus magistrorum fuit, & cui fatebatur palam se debere, quidquid sibi literarum esset: ita ut quadam ad *Pomponium* cumdem epistola (b) hiscemet verbis gratum animum suum illi significet. Ego, quod ab incunte adolescentia feci, te unice colo & observo: augeturque magis in dies vetus hoc meum in te studium: augetur amor, observantia, pietas: & brevi nihil est te uno mihi carius: cui quicquid sumus in his studiis, non minus libenter, quam grata refero acceptum. Aliisque verbis alia epistola (c) suum animum declaravit, quam dedit ad Venetum quemdam patricium ex *Trivisana* gente. Ego siquid in his studiis, quae sibi nomen ab humanitate vendicant, profeci, id, post Deum optimum, *Pomponio Laeto* refero acceptum.

Cum magni ejus viri gymnasium *Coccius* frequentaret, factus est praecipuum *Romanae Academiae* ornamentum: instituerat illam *Pomponius* ad exemplar *Academiae Neapolitanae*, quam *Antonius Panormita* considerat, & senior *Pontanus* illustrarat. Et cum illius Academiae lege sanctum esset, ut quo die corona donabantur literati homines (quod magna hominum celebritate fiebat in *Capitolio*, ubi erat *Pomponii* domicilium) nomen sibi novum imponerent, ex graeca vel romana antiquitate desumptum, quod tamen aut a priori nomine parum abluderet, aut facile natale solum innueret; id fuit in causa, ut idem *Coccius*, institutum hoc secutus, auctore *Pomponio*, tum praceptore suo, SABELLICUM deinceps vocari se vellet.

Vicovarum, ejus patria, inter *Aequos* sive *Aequicolas* populos ponitur, Marsis conterminos. At Sabellicus posuit illos in *Sabinis*, qui *Aequis* finitimi erant: quod eo facilius adductus est, ut crederet, quod in *Aequorum* *Sabinorumque* finibus *Vicovarum* jaset. *Sabinus* vero, *Sabellus* & *Sabellicus* antiquis idem sonat. *Sabellicum* nomen usurpat *Virgilius* in *Georgicis* libro III.

(a) p.43. no-
viss. hujus
editionis.

(b) Epist.
lib.I.

(c) Lib. II.